Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1609

Quelle:
Copyright:

XXX. *fol.* 145. *Tractatulus cuiusdam de ſectis hereticorum Theotonicorum.* Potius *F. Reynheri* O. P. Compilatio *de Waldenſibus*, et aliis adfinibus Fanaticis, prout jam *Codd.* CCXC. et CCCXXVIII. indicavimus. Sed multum haec Exempla et inter ſe, et ab eo, quod T. XXV. *Bibl. PP. Lugd.* p. 262. exhibetur, variant, ut non niſi ex omnibus rite collatis Opus integritati ſuae reſtitui poſſe videatur, ita et addita et infarcta varia, et Rubricae Titulive pro arbitrio Librariorum aucti, ſubtracti, translati ſunt. Initium: *Audiſtis quod antichriſtus venit* &c.

XXXI. *fol.* 166. *De Erroribus aliorum.* Alia manu. Initium: *Sequentes articulos tenuerunt et crediderunt turungi* (Thuringii) *in ſangerhauſſen prout immediate ipſorum iuramento profeſſi ſunt in iudicio coram Religioſo viro fratre Henrico Schomyelt* (Schonevelt) *ordinis fratrum predicatorum et ſacre Theologie profeſſoris ac heretice prauitatis auctoritate apoſtolica inquiſitoris et aſſeſſoribus principis thuringie* &c. Recitantur deinceps *Articuli* 42. Sectae *Flagellantium* adtributi, propter quos ſub finem multi utriusque ſexus combuſti dicuntur in *Sangerhauſen Anno Domini M° CCCXIIII.* Peccatum in anno, reſcribendumque 1414. Confer *Chr. Schoetgenii Comment. de Secta Flagellant.* p. 72. 73.

XXXII. *fol.* 168. *Tempore interdicti que ſint facienda.* Breviter. Initium: *Tempore Interdicti poteſt fieri commendacio animarum decedentium* &c.

XXXIII. *fol.* 169. *Sermo ad Clerum Magiſtri Jacobelli facius in Miſſa ad Sanctum Michaelem.* Per 2. columnas ſcriptus incipit: *Hec omnia dabo tibi, ſi cadens adoraueris me* &c. et relatus fuit alibi. Hic vero ad calcem *anno 1410.* adfigitur.

XXXIV. *fol.* 181. Tractatus polemicus ἀκεφαλος, cui alia manus inſcripſit: *Deſcriptio tabularum Chriſti et Antichriſti;* ad calcem vero lego: *Explicit nouus et antiquus color.* Eſt porro mens Autoris κατ' ἀντιλογιαν exhibere doctrinam Chriſti et modernae Eccleſiae Rom. Ita *Tabula quarta*, nobis prima incipit: *Primus* (quaſi dicas, teſtis) *de No Co.* (i. e. Novo Colore) *Non eſt a plebe arguendus uel accuſandus epiſcopus, licet ſit inordinatus* &c. — *Secundus de ve* (teri colore) *Quis ex uobis arguet me de peccato* &c. Sic proceditur per IX. *Tabulas*, quibus adnectitur *Curia Chriſti*, *Modus Curie Romane*, et hic quidem verſu:

Curia vult marcas, burſas exhaurit et archas.
Si burſe parcas, fuge papas et patriarchas &c.

Demum *Sedes*, nempe Antichriſti, qui Noſtro Pontifex Rom. eſt. In *Balei* Catalogo *Opp. Wicleſi* video *Libb. II. de Chriſto*